Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 297
Quelle:
Copyright:

inutilem etiam operam in conferendis PP. locis aliquando praestare possit.

Codicem ambiunt Literae *Arnesti* I. Archiepiscopi *Pragensis* ad Abbatem et Conventum O. S. B. in *Wilemow* Dioecesi *Prag.* in membrana scriptae, pro *Petro de Zatz* beneficio donando, quibus insertae sunt aliae *Innocentii* VI. datae *Avenione Pontificatus Anno primo*, i. e. 1353.

CX. VIII B 22.

122 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 286. f. forma pene quadrata per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus et optimae notae continet *Christiani Druthmari* ob scientiam et πολυγλωτίαν dicti *Grammatici* Aquitani, Monachi Corbejensis O. S. B. Scriptoris, ut mox patebit, Sec. IX. *Opera residua*, et primo quidem *Commentaria* egregia, sensuique potissimum literali inhaerentia *in Evangelium Matthaei.* Edita sunt illa primum ope solertissimi *Jac. Wimphelingii*, praefixis *Leonis* X. Insignibus, *Argentorati per Joh. Grüningerum* 1514. f. restituta per *Menrad. Moltherum*, qui, ut docet *Praefatio*, praecedentem Editionem ignorabat, ex *Bibl. D. Andreae Vormatiensi*, *Haganoae* typis *Joh. Secerii* 1530. 8. Quo loco peccat *Historia Lit. Galliae* T. V. p. 89. ex *Secerio* editorem, ex *Moltbero* typographum faciendo. Tandem in *PP. Bibliothecas* transiere, neque est, quod *Historia* paullo ante citata queratur, neglectam esse lectionem, quam *Sixtus Senensis* in vetustissimo Codice *Bibl. O. Minor. Lugduni* invenerat; habetur enim haec lectio in margine T. XV. *Bibl. PP.* edit. *Lugdunens.* p. 165. ubi *Druthmarus* ad C. *Matth.* 26. historiam institutionis S. Coenae exponit, qui, cum a quibusdam, teste *Fabricio Bibl. med. et inf. Lat.* v. *Christianus*, et *Hist. lit. supracit.* insimulatus fuerit a sensu Catholicae Ecclesiae in explicando hoc mysterio deflectere, aliique alios de Exemplarium corruptione criminarentur, operae pretium videtur, *Codicem* nostrum eo in loco cum *Moltheri* editione et *Bibl. PP.* contendere.

Noster.	*Molth.*	*Bibl. PP.*
Et post. et quem de sancta Maria adsumpsit.	Et post, et *ei* quem de sancta &c.	Et post, quem de sancta &c.
Et potentiam *ueraciter* inesse monstrauit.	Et potentiam *veracitatis* &c.	Et potentiam *ueraciter* &c.
Semper hoc in *figuram* facerent.	In *figura.*	In *figura.*